



**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

1 Quid sit excommunicatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

SECTIO I.

Quid sit Excommunicatio.

Excommu-
nicationis
definitio.

Matth. 18.

Cap. Qua-
renti, de ver-
borum signifi-
cat.

Arie definitur ab authoribus; tamen suppositis, quæ diximus de censure in communi, facile hoc modo describitur: Excommunicatio est censura, qua quispiam separatur ab Ecclesiastica communione fidelium. Quæ definitio in ipso nomine excommunicationis indicatur: nam excommunicatus perinde dicitur est, atque extra communione factus. Et fundamentum habet in verbis Matth. 18. Si Ecclesiam non audieris, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus, id est, ab Ecclesia segregatus. Et declaratur breviter, explicando singulas particulas: nam censura ponitur loco generis, sub quo per se notum est, excommunicationem contineri, ut constat ex cap. Quarenti, de verborum signific. & ex communi sensu Ecclesie, & ex dictis supra de divisione censuræ in tres species, quarum potissima est excommunicatio.

Reliqua autem pars ponitur ad distinguendam hanc censuram à suspensione, & interdicto: nam ab irregularitate, & aliis Ecclesiasticis inhabilitatibus, aut poenis, per ipsum genus censuræ separatur, ab illis vero per prædictam differentiam: quia nec suspensio, neque interdictum formaliter, ac per se priuant communicatione, sed suspensio priuat Ecclesiastico ministerio: interdictum vero solum diuinis rebus, vel officiis, ut sic, ut in suis locis videbimus. Vbi autem nos dicimus: quæ quispiam, &c. alii ad dunt, Christianus, aut baptizatus. Sed licet sit verum, solos baptizatos posse excommunicari, tamen non oportet id ponere in hac definitione, tum quia id pertinet ad genus censuræ: nulla enim censura ferri potest in non baptizatum, tum etiam quia excommunicatio etiam ferri potest tantum in subditos: imo ideo fertur tantum in baptizatos, quia illi soli directe subiiciuntur spirituali Ecclesie potestati; & tamen non propterea necesse est in definitione ponere, eum, qui excommunicatur, debere esse subditum, quia non omnes quæstiones sunt in definitione includende. Denique cum dicitur, aliquem separari per excommunicationem à communione fidelium, supponitur, seclusa excommunicatione, eum esse, vel habere proximam aptitudinem, & ius ad communionem fidelium, & consequenter esse baptizatum: nam hæc potestas, seu ius communicationis per baptismum, seu characterem baptismalem comparatur.

Exponitur,
& compro-
batur defi-
nitio.

Hinc vero inferunt aliqui, non fuisse dicendum in definitione per excommunicationem priuari hominem à communione fidelium, sed usu communionis, quia per excommunicationem non adimitur nobisabilitas, & potentia vtendi communione Ecclesie, quia non tollitur character baptismalis, in quo illaabilitas consistit, propter quod Sacramentum ab excommunicato susceptum valida sunt: ergo excommunicatio non simpliciter priuat communionem, sed usu communionis. Sed hoc nihil habet ponderis: nam cum excommunicatio dicitur priuare communionem, ex vi verborum non significatur priuare habilitatem, vel potentiam radicalem (ut sic dicam) ad huiusmodi communionem, sed solum actualem communicationem, ut ex proprietate ipsorum verborum constat: nam Communio actum significat: & ideo nihil refert communionem, vel usum communionis dicere. Addo vero vterius, ut convenienter explicetur, & intelligatur definitio excommunicationis censuram non priuare solum actu, sed iure etiam communicandi, non quidem iure illo mere passiuo, & quali fundamentalis, quod consistit in characterem baptismali, sed iure proximo, & morali, quod fide-

lis habet ad huiusmodi communionem, ut licite, & honeste illa fruatur, quam diu prohibitus non est: & ideo licet ex vi huius censuræ non reddatur ita inhabilis ad Sacramenta, ut ab eo suscepta nulla sint, loquendo præcise ex vi censuræ; tamen redditur moraliter inhabilis ad licitam, & decentem participationem Sacramentorum. Hoc ergo sensu dicitur fidelis priuari per hanc censuram communionem Ecclesiasticam, non tam facto, quam iure. Oprime ergo per illam particulam vis huius censuræ declaratur. Et eisdem fere verbis habetur apud Augustinum ser. 68. de verb. Apostoli, cap. Omnis Christianus, 11. qu. 3. Vbi dicitur, Christianum per excommunicationem ab Ecclesiastica communione remoneri. Et similibus verbis vtuntur iura, cum hanc censuram imponunt, scilicet Communionem priuentur, aut priuatus sit, ut in canonibus Apostolorum sæpius legimus, in quibus verbum Græcum est, ἀποπέσει, id est, separe, seu elimo, quo verbo vtitur Concilium Arausicum in cap. Canonica, 11. quæstio 3. dicens: A gremio sanctæ matris Ecclesie, & consortio totius Christianitatis eliminamus. Vnde in Patribus sæpe legimus, per excommunicationem abscindi, vel segregari hominem ab Ecclesia, ut late refert Bellar. li. 3. de Ecclesi. milit. ca. 6. Quod quomodo intelligendum sit, non hoc loco, sed in materia de fide explicandum est. Nunc satis sit dicere, non ita enici fidelem ab Ecclesia per excommunicationem, quin ille maneat subiectus ratione characteris, & vnitus per fidem, si alioqui illam non amittit; sed solum, quia priuatur dicto iure morali ad vtendum Ecclesiastica communicatione, & participatione.

Quomodo excommunicationi minori definitio conueniat.

¶ Licet aliquis, iuxta hanc interpretationem, definitionem prædictam non conuenire excommunicationi in genere, sed tantum excommunicationi maiori, quia hæc solum est, quæ priuat simpliciter communicationem Ecclesiasticam. Consequens autem repugnat bonitati definitionis, quæ debet conuerti cum definito: hic autem generatim de excommunicatione tractamus. Propter hoc fortasse Soto dist. 22. qu. 1. art. 1. non indefinit, sed addendo particulare signum, dixit, excommunicationem esse censuram, quæ priuat aliquam communionem Ecclesiasticam. Quæ definitio videtur aliquibus in contrarium extremum declinare, & soli excommunicationi minori conuenire, quia maior non aliqua, sed omni communionem priuat. Verum tamen non ita est: nam quæ priuat omni priuat etiam aliqua à fortiori: non est enim sensus limitans, seu excludens, quin possit excommunicatio priuare omni Ecclesiastica communionem, sed sensus est de ratione excommunicationis, ut sic, solum esse, ut priuet aliquam, siue priuet etiam omni, siue non: & ita in re eadem est definitio cum tradita à nobis: ad tollendam vero illam æquiuocationem abstulimus illud particulare signum, & indefinitè locuti sumus. Et eadem ratione abstulimus signum distributiuum: quod Hostiensis, Gofredus, & alij Summistæ frequenter addunt, dicentes, excommunicationem esse separationem à qualibet licita communicatione. Quam definitionem reprehendit Abbas in rubric. de Sentent. excommun. Et merito, quia si illa distributio, à qualibet, intelligatur copulatiue, id est ab omni, hoc non est de ratione excommunicationis, ut sic: si vero intelligatur disiunctiue, id est cuiuslibet communicationis, siue huius, siue alterius separationem sufficere ad rationem censuræ, sic quidem posset reuocari ad legitimum sensum; verba tamen sunt valde ambigua. Et præterea, cum ibi non fiat mentio de genere censuræ, nec de Ecclesiastica communicatione, facile posset tota illa definitio

prio

ptio ad alias prohibitiones humanas, vel ciuiles, A
que excommunicationes non sunt, extendi.

Ipse vero Panormitanus, vt exprefsis declararet fub ea definitione cōprehendi vtramque excommunicationem, maiorem & minorem; addit, excommunicationem priuare quādoque communicatione Sacramentorum, & confortio hominum: nam illud primum commune eft vtrique excommunicationi: hoc autem fecundum proprium e maioris; & ideo dixit, quandoque ferri, quia non per omnem, fed per aliquam excommunicationem id fit. Sed improprie fatis addita eft illa particula, præferit copulatiue: nam vt definitio conuertatur cū definitio, neceffarium erit, vt vtraque pars illius copulatiue conueniat omni excommunicationi: quod non ita eft, nam excommunicatio minor per fe nūquam feperat a communicatione hominum: excommunicatio autem maior non quandoque feperat, fed femper. Quod fi dicatur illud *quandoque* non fumi in rigore pro aduerbio tēporis, necefferi ad fpeciem excommunicationis: fed ad genus ipfum, quod quandoque, id eft, contractum ad aliquam fpeciem fuam, priuat illa communicatione hominum: fic in definitione generis ponitur id, quod eft proprium alicuius fpeciei, & fimul cum definitione indicatur diuifio: quod neceffarium non eft. Sic etiam non oportet in definitione addere *de iure*, vel *ab homine*: quod idem Panormitanus addit; quia hoc potius pertinet ad diuifionem, & ad caufas extrinsecas talis cenfuræ, quam ad communem rationem eius. Item altera particula, quam ponit Abbas, fcilicet *priuare Sacramentorum participatione*; licet de facto communis fit omni excommunicationi: tamen de fpecie participationis eft, quatenus dicit priuationem particularis cuiusdā communicationis. Vnde fimiliter nō repugnaret dari excommunicationem, quæ priuaret aliqua alia communicatione Ecclefiaftica, & non Sacramentorum participatione, vt ex iis, quæ in fequenti fectiōne dicemus, magis conflabit.

6
Sufficiens ergo est definitio data, & quamlibet
excommunicationem sub se comprehendit: nam
cum dicitur excommunicationis censura separare
ab Ecclesiastica communicatione, abstracte id su-
mitur, siue illa excommunicatio, quæ priuat, magnâ
sit, siue parua, siue totalis, siue partialis, dummodo
huiusmodi communicatio Ecclesiastica sit, & talis,
vt sub Ecclesiæ prohibitionem cadere possit. Quod
vtrimagis declaratur, distinguenda est multiplex co-
municatio, quæ inter fideles inueniri potest. Vna
est pure civilis, & politica, quæ consistit in his exter-
nis actionibus, quæ ad humanam societatem perti-
nent, vt est confabulatio, mutua saluatio, commu-
nis mensa, & huiusmodi. Alia est spiritualis, seu sa-
cra communicatio, quæ vtriusq; subtingui potest:
nam vna est exterior, alia mere interior, alia veluti
mixta, id est fundata quidem in operibus exteriori-
bus; habens tamen interiorem effectum, & in eo
communicationem inter fideles. In primo ordine
est participatio eorundem Sacramentorum, vsus eu-
chædæ sacrificij: & communicatio in aliis officiis,
& rebus sacris, non considerando fructum internū,
qui ex eis prouenit, sed solum illam externam com-
municationem. In secundo ordine est communica-
tio in gratia, & charitate, & fide, per quam fideles in-
ter se, & cum Christo mystice copulantur, vt sumit-
ur ex Paulo ad Ephes. 4. & 1 ad Corinth. 12. ratione
cuius vnionis sibi inuicem aliquo modo commu-
nicant merita, non quoad præmium essentiale, & de
condigno, sed quoad imperandum à Deo specialia
beneficia, & peculiarem protectionem, ac providen-
tiam. Quomodo dicitur Psal. 118. *Particeps ego sum om-
nium inuentum se*: iuxta probabilem expositionē,
de qua superius in materia de suffragiis. Et eodē mo-
do Genes. 18. dicebat Dominus ad Abraham, pro-

Fr. Suarez tom. 5.

per decem iustos, si in Sodomis inuenirentur, non deleteretur ciuitatem. Et ad hoc membrum spectat, quod vnus iustus potest communicare aliis suis satisfactiones proprias, & priuatas etiam mere internas. In tertio ordine constituto participationem communium Ecclesiæ suffragiorum, quorum effectus interior & spiritalis est, vt v. g. remissio alicuius pœne per applicationem communium Ecclesiæ satisfactionum, vel applicatio communium Ecclesiæ orationum ad impetrandum à Deo aliquod beneficium, vel spirituale, vel etiam temporale. Dico autem hanc communicationem esse mistam ex interna, & externa; & hunc effectum, quantumvis internum, fundari in aliqua exteriori communicatione; quia cum Ecclesiæ visibilis sit, semper requirit aliquam actionem externam, & sensibilem, vt est oratio, vel quælibet alia pia actio, quæ totius Ecclesiæ nomine fieri intelligatur. Et si similiter applicatio communium satisfactionum Ecclesiæ, quæ maxime fit per indulgentias, semper requirit aliquam actionem, seu moralem influxum externum, & sensibilem.

Excommunicatio ergo per se non priuat illa se-
cunda communicatio mere interna, quæ spectat
veluti ad substantiam, & fundamentum spiritualis
vitæ: quia Ecclesia neque vult, neque potest priuare
membra sua internis virtutibus spiritualibus, quæ
non possunt à nolentibus perdi, vt ad hoc propo-
situm notauit D. Thomas in 4. dist. 18. quæst. 2. artic.
5. quæstio. 2. ad 1. Vnde excommunicatio supponit
quidem aliquando carentiam huius communi-
cationis ratione culpæ, propter quam fertur: ipsa ta-
men illam communicationem non auferit; imo ne-
que etiam impedit, quominus, qui excommuni-
catione ligatus est, possit ad prædictam communi-
cationem redire, etiam si ab excommunicatione
non absoluitur, quia potest per contritionem ad
gratiam redire. Et propter hanc causam aliqui ad-
dendum putant prædictæ definitioni, excommuni-
cationem priuare Ecclesiastica communicatione
externa, vt hæc interna excludatur. Ego vero illam
particulam omittendam censui, ne æquiuocatio-
nem pareret, quia etiam communicatio in suffragi-
is Ecclesiæ, & in fructu eorum, interiori dici potest.
Et præterea non est illa particula necessaria, quia eū
dicitur excommunicatio priuare Ecclesiastica cō-
municationem, necessariū intelligendum est de cō-
municatione, quæ ex voluntate Ecclesiæ pendet, &
in quam ipsa possit ius, vel potestatem habere; quæ
propterea humana etiam communicatio, licet Ec-
clesiastica, dici potest: nam illa prior quodammodo
diuina est. Et ob hanc causam inter alias peccatum
mortale non potest dici excommunicatio, eo quod
per se prædicta sola cōmunicatione interna priuetur;
etiāmsi Gabr. d. 18. qu. 2. artic. 1. & alij interdum ita lo-
quantur. Adde quod nec peccatum censura est Ec-
clesiastica, nec censura habet rationem culpe, sed
tantum pœnæ. Nominē ergo cōmunicationis Ec-
clesiasticæ comprehenduntur alia duo membra, quæ
sub aliis duobus contineri solent: nam hæc cōmuni-
catio alia dicitur esse in sacris, quæ partim exter-
na, partim interna est: alia dicitur ciuilib, seu huma-
na, quæ omnino est externa; & licet de se commu-
nis sit omnibus hominibus, quatenus tamen inter
fideles, & Christianos versatur, & ad spirituales fi-
nem ordinari potest, tam ipsa, quam eius carentia
sub Ecclesiastica cōmunionē comprehendit-
tur. Sic ergo omnis excommunicatio
priuat huiusmodi cōmunicatio-
ne Ecclesiasticæ, vel om-
nino, vel ex parte.

(:)